

DIEM
JESV CHRISTI
NATALEM

A. O. R. MDCCXXXVIII

FELICITER REDEVNTEM

CARMINE PIE CELEBRAT

SCHOLAE CATHEDRALIS, QVAE NVMBV̄RGI
EST,

ORDO PRIMVS

PER

IOANNEM AVGVSTVM REYHERVM,

LOEBSCHV̄ZENSEM.

NVMBV̄RGI,

STANNO BALTH. BOSSOEGELII, PRIVIL. TYPOGR.



Lumine non solito tenebrosa nocte refulget
et resonat cantu Bethleemensis ager.
Mox legatus adest, alto demissus olympo,
angelus, angelico concomitante choro.
Pastores pecoris, vobis legatio tanta
mittitur, a summo mittitur illa Deo.
Acceptos charosque Deo! quibus ipse minister
missus ab aetherea Numinis arce venit.
Non sic Herodes, non gens Solymaea, nec ipse
ordo sacerdotum, pontificumque genus,
Non sic Roma, caput mundi, pulcherrima rerum,
non Augusta domus sunt in honore Deo.
Maior Ephrataeae, quam Romae, gratia terrae;
pastores plus, quam Caesar, honoris habent.
O fortunatos nimium, nimiumque beatos!
sic commendatos quos habet ipse Deus.
At mage felices, omni ex parte beatos!
quais hi legati gaudia tanta ferunt.
Quem Deus a prima praedixit origine rerum;
carminibus vates quem cecinere suis;
Quem spe sollicita, quem per tot secula cunctis
primaevi votis expetiere patres;
Natus is est hodie vobis, ait angelus, ecce!
hac nocte est vobis summa parata salus.

I gradibus, pia turba, citis, et munera specta,
quae sunt a patrio jam tibi missa Deo.
Invenies fausto tenera de virgine partu
ortum, cui mundi sceptrum tenere datum est.
Non tamen invenies pugnace satellite cinctum,
non alta positum magnificaque domo.
Non in constructis varia conclavibus arte,
non jacet in cunis, aureolisque toris.
Serica non uestis, non principe digna supellex,
purpura non rutilans corpora summa tegit.
Sed superimpositum foeno, sed stramine tectum
praesepe in stabulo uix bipedale tenet.
Ne dubita hunc supplex et sancta accedere mente;
ut jus et fas est, hunc venerare Deum.
Quae mora, quique pudor tibi noxius, obstat eunti?
quid stas exanimis? quid properare negas?
Deme moram, timidumque animo depelle pudorem,
ista qui retinet te, prohibetque, uia.
Ille quidem rex est, sed temnere nescit egenum,
Accipit illustri quemque favore probum.
Si te non Tyrio commendat murice tincta
Vestis, non rerum copia, et ampla domus;
Casti te mores, et nescia fallere vita,
et coelestis amor, spesque fidesque probant.
Munere forte cares, quod tanto principe dignum:
ne cura, munus non cupit ille tuum.
Est ipsi coeli, et cunctarum copia rerum;
his tamen exutis plus amat esse miser;
Ipse suis ut diuitiis locupletet egenos,
istosque in folio collocet ipse suo.
Ergo accede tuum propere, gens optima, regem,
Atque tuas animo fer reverente preces.
Pronis accipiet vocem, sit quamlibet infans,
Auribus, et votis annuet ipse tuis.
Quanta perpetuo vos prosperitate beabit!
quam vobis posthac tempora laeta fluent!

Posthac non hostis, non vis inimica molesta est,
infans hic vacuos vos facit esse metu.
Ingenii oblitus non infidiatur ovili, et
propter oves habitat jam, sine fraude, lupus.
Diuitiis coelum destillat, et ubere campus,
mollibus in pratis copia laeta fluit.
Hucque suas rex ducit oves, (nam pastor et ipse est,
et vos illius pars modo parva gregis.
Quippe gregem ex cunctis sibi terris colliget unum,
illiusque gregis pastor is unus erit.)
Pinguibus in pratis dulcissima gramina carpit,
et dulci large flumine potat ovis.
Denique nulla lues, contagio nulla, nec ipsa
mors fera, pastore hoc, est nocitura gregi.
Non reuiet, uel morte sua propellere mortem,
ut sit ubique suis plena parata salus.
Sic legatus ait: dulci modulamine dicta
comprobat aetherei lucida turba chori,
Et tanti celebrat pastoris cantibus ortum,
tam laetaeque canit conditionis oves.
Eja age! tu mecum, juvenum pia turba, celebra
cantibus hunc etiam laetitiisque diem.
Non secus ad nosmet cunctos ea gaudia spectant,
ac quondam ad nostros pertinere patres.
Ergo tolle tuas ad lucida sidera palmas,
atque pia tales concipe mente preces.
Salve, sancte puer, patris immortalis imago,
nate Deo forti, fortis et ipse Deus!
Nostra salus! nostra quae causa sidera linquis,
ut serues miseros, asimilesque tibi:
Nos et ab exitio serua, quod cuique minatur,
et tecum in coelis, et super astra, loca.
Sic laudes fervente tuas celebrabimus ore,
linguaque nomen erit non tacitura tuum.

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

617





DIEM
JESV CHRISTI
NATALEM

A. O. R. MDCCXXXVIII

FELICITER REDEVNTEM

CARMINE PIE CELEBRAT

SCHOLAE CATHEDRALIS, QVAE NVMBV̄RGI
EST,


ORDO PRIMVS

PER

IOANNEM AVGVSTVM REYHERVM,
LOEBSCHV̄ZENSEM.

NVMBV̄RGI,

STANNO BALTH. BOSSEGELII, PRIVIL. TYPOGR.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

